

possumus. Corpus & sanguinem Christi contineri speciebus panis & vini in augusto Eucharistiæ sacramento, Fide sola cognoscimus; Ratio in re ipsa plane cæcutit, etsi in modo rei explicando conjecturis uti potest.

*Epilogus*

*libri primi.*

Satis quidem hæc esse poterant ad constituendam pacem Fidem inter & Rationem: nam & suis utrique assignatus est locus, & sua Fidei dignitas servata est, & in ordinem coacta Ratio, & pacis initæ latæ sunt conditiones, & utriusque definita & circumscripta ditio est. Verum ad confirmandam conglutinandamque deinceps concordiam, & extinguendas omnes dissensionis causas, instituto nostro imprimis conducibile, eique, quam instituimus, disceptationum istarum partitioni consentaneum fuerit ostendere, ex omnibus decretis Fidei, & Christianæ doctrinæ præceptis, quæ hominibus ad credendum, vitamque pie & sancte duendam proposita sunt, nullum esse tam alienum à Ratione & opinione omnium, cui non similem aliquam, parisque aut majoris etiam admirabilitatis rem admiserint ii, quos Ratione optime usos esse vulgo creditum est, vel ipsa etiam Rationis moderatricem se ferens Philosophia. Verum res est gravioris operæ, suamque sibi postulat disputationem: ego vero jam loquendo pene irraus, & vereor, ne ad sermonem tam prolixum, velut ad næniam, conniveas ac nutes, & fortasse tandem obdormiscas. Erit hæc igitur, si ita est tibi commodum, crastini diei schola. Juvat enim sumtum à Græcis vocabulum in re consimili & moribus illorum recepta usurpare. Nunc quando augetur æstus, domum concedamus. Tum Hamelius: At certe, inquit, me parum nosti, qui ad disputationem & accuratam, & longe gravissimam, animo vagari, nedum somnum admittere posse me putasti. Nutatio certe, si qua foret, non somniculosi esset, sed annuentis.

Quibus dictis exurreximus.



ALNE-